

Relio. Plin.
XI.

antè similiter expansum, omnium maximè verò super occidenta-
 horem pridem refrigeratum, fluida verò gravia ex altiore loco ad
 maximè declivia maxima cum celeritate ruant; manifestior multò
 causa est aëris rarefacti fluxum in occasum, tanquam humiliorem
 locum, quàm in ortum determinans: Neque parum fortassis ad-
 jumenti huic hypothefi ex Kircheriana, cæteroquin Hallejanæ ma-
 gis affini, accederet, si non aërem ipsum tantum, sed vapores è sub-
 jacente oceano magnâ copiâ sublevatos, suaque naturâ aëre gravio-
 res, ex alto deinde tantò majore impetu defluere dicat. Nec illud
 jure, tametsi fortasse speciosè, objici Vossio potest, quòd ipsemet
 p. 95. de Motu marium & Vent. fateatur, accenso in conclavi foco,
 aërem inibi rarefactum non foras versus aërem frigidiorè & con-
 densatiorem, sed hunc econtrà ad illum rarefactum per rimas &
 commissuras januarum fenestrarumque cum strepitu & stridore ir-
 rumpere: hoc enim mirum ibi nequaquam est, ubi exterior & con-
 densatior aër multò altior est interiore illo, non desuper, ut in præ-
 senti negotio, sed infernè rarefacto. Illud majori jure & probabi-
 litate omnibus istis hypothefibus pariter opponi posse videtur,
 quòd, cum rarefactio illa ac dilatatio subsolaris aëris paulatim ac
 lente, sine omni impetu sensibili, fiat, nulla ratio appareat, cur Sole
 paulatim itidem à loci rarefacti vertice discedente, dilatati aëris
 descensus, aut remotioris gravioris accessus, cum impetu quodam,
 & non potius eadem tarditate ac lentitudine fiat: nisi hoc unum
 pateat effugium, quòd Vossius p. 96. indicavit, illum motum, uti-
 que exiguum ab initio, deinceps more gravibus usitato & ordina-
 rio accelerari. Et hoc pacto, quòd attinet ejus determinationem
 ab ortu in occasum, Vossiana hypothefis Hallejanæ præferenda vi-
 deretur, haut parum subsidii, quoad hanc circumstantiam, habitura,
 si terræ motus diurnus cum ista Solis actione in oppositas partes ten-
 dente conjunctus esset.

XII. At enim verò quoad alias circumstantias Phæn. 12. nota-
 tas, quòd in remotioribus paulò ab Æquatore in utramque partem
 Zonæ torridæ tractibus Ventus ille perpetuus & generalis, non ita
 præcisè orientalis fit, uti sub ipso Æquatore, sed hinc paulò Septen-
 trionalior, inde paulò australior, versus æquatorem conspirans,
 Vossiana hypothefis iterum deficere videtur; siquidem ipsâ stante
 aërem sub Æquatore ipso, quam ad latera, elevatiorem, inde huc
 potius, quàm hinc illuc, ruere necessum esset. Sed commoda hy-
 pothe-